

natum voluit. Sed quamvis illi computaverint horas, ignoratur; num diei naturalis, qui incipit a media nocte; num vero diei Judaici, qui incipit a Solis ortu. Anastasius autem Synaita ad vespertinam ortum scribit, lib. 7. in Exameron. Utrique autem pro arbitrio fensisse videntur: probationes enim, si quaerimus, nullam afferunt. Certe Christum de nocte natum esse, liquet ex Evangelio Lucæ Cap. 2. ubi narrata Christi nativitate, subiungitur e vestigio: *Pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum: quia tamen esset hora, quæ noctis vigilia, non innuitur: horas enim noctis duodecim numerabant, vigilias noctis omnino quatuor, pro more felicitæ Judæorum. Nihilominus in eam sententiam conspirant Interpretes ferme omnes, ut sit natus de media nocte. Idque partim ex antiqua Ecclesiæ traditione, quæ idcirco eam noctis partem anniversariis præcationibus celebrat, jam a primis faculis, ut multis ostendit Albinus Flaccus de Divinis Officiis Cap. 1. partim ex prophetia Sapientia Cap. 18. Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus a vegalibus sedibus durus de bellator in mediam exterminii terram profilit: quod de Divini Verbi facti hominis nativitate dictum, plerique Patrum sunt arbitrati.*

Atque ex hac ipsa temporis nota, quo Christum Virgo Mater enixa est, multo facilius intelligas, ab omni veri specie alienum esse, quod nonnulli commenti sunt; (Benfon. in Psal. 46.) & ex S. Brigittæ revelationibus confirmare tentarunt, Josephum pariente Virgine abfuisse. Equis enim Sanctissimum Sponsum domo de media nocte abfuisse, sibi persuadeat, uxoremque partui proximam vel momento reliquisset? Contra vero Petrus Damiani Serm. 62. *Adest & Joseph, sed ab utroque remotus, & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest, qualiter sit ad tante dignitatis admittis arcanum.*

V. Ad circumstantias temporis Christi nascentis omnino pertinet Pastorum adventus, qui ab Angelo moniti, festinantes, ac nulla interposita mora adoratum venerunt. Undenam illi venerint, ac quoto numero fuerint, non incuriose quaeris. Ex eo illos venisse loco, ubi Angelicum nuncium exceperant, nihil dubium est: ubinam autem nuncium exceperint, id vero quaeritur. Juxta Eder, *turrim gregis* vulgo dictam, quæ Bethlehem inter, & Jerosolymam sita erat, cum illic de nocte greges pasceret, Angelicum nuncium exceperisse, indeque adoratum venisse, scribit D. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, exponens illud Genesis Cap. 35. v. 21. *Egressus inde Jacob, fixit tabernaculum trans turrim gregis, ubi sic habet: Hanc locum Hebraei esse volunt, ubi postea Templum edificatum est, & turrim Eder turrim gregis significare, hoc est, congregationis, & cæus. Quod & Michæas testatur dicens: in turris gregis nebulosa filia Sion: illoque tempore Jacob trans locum, ubi Templum edificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viae pastorum, juxta Bethlehem locus est, ubi, vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Jacob pecora sua parvit, loco nomen imponens; vel, quod verius est, quodam vaticinio futurum jam tunc Mysterium monstrabat. Et in Epitaphio Paulæ ad Eulochium: *Haud procul inde descendit Paula ad turrim Eder, id est, gregis, juxta quam parvit Jacob greges suas, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bone voluntatis.* Erat porro extracta turris hæc in loco pascuoso, in quam sese recipere pastores, gregesque colligerent con-*

tra Cæli injurias: unde illi nomen Eder inditum est. Eder enim hebraice collectionem pecorum sonat.

VI. Jam quod ad numerum attinet, Pastores Christi nascentis adoratores, tres tantum vulgo creduntur. Hinc Bedæ libro de locis Sanctis Cap. 8. *Ad orientem in turris gregis mille passus a Bethlehem Civitate, segregata est Ecclesia, trium pastorum Divinae Nativitatis consociorum monumenta continens.* Et Haymo Halberstatensis: *Distat turris gregis uno milliario a Bethlehem, in qua etiam hodie trium pastorum corpora requiescunt.* Ubi tamen non affirmatur, Pastores Christi nascentis adoratores plures tribus non fuisse; quamquam trium dumtaxat corpora illic quiescere referantur. Idcirco Casaubonus, Exercitatione 2. in Baronium, quatuor fuisse contendit, quorum nomina ex pervetusto Codice Græco anonymo in Palatina Wittembergenfi Bibliotheca aservato representat: *Misael, Achael, Stephanum, & Cyriacum.* Viro Heterodoxo, etsi non sit integra danda fides in iis, quæ religionem utrumque continent; quid tamen isto in capite negemus; modo (quod nescimus) antiquæ, & probatæ notæ sit Codex ille, ex quo quatuor pastorum nomina descripta sunt? De cætero enim, quod obijciunt aliqui, *Stephanum, & Cyriacum* græca esse nomina, quæ viris Judæis, quales profecto pastores erant, minime congruant, utilitatis plenum est. Quis enim nesciat, Judæos, quo ex tempore Græcis paruerant, varia quoque græca nomina sortitos esse; primumque Diaconum genere Judæum, & patria Hierosolymitanum, *Stephanum* fuisse dictum? Nihil itaque ex eo capite repugnat, quatuor illos fuisse pastores Christi nascentis adoratores: modo, ut dixi, græci Codicis a Casaubono laudati staret fides: qua de re judicium ferre non possum.

EXERCITATIO XXXII.

De fidei prodigiis, quæ Christo nascente patrata dicuntur; ac maxime de silentio præcis Gentilium Oraculis inditio.

I. Quæ viro Theologo cura est, ne veris, quibus Christi nativitas illustrata est, prodigiis defraudet; ea quoque ne falsis, & negentis celebretur, debet esse. Ut enim vera negare miracula, impietatis est; ita falsa comminisci, superstitionis: parique in Ecclesia Catholica periculi est, fidei delectari, & certa respuere. Ea me ratio induxit, ut qui certa Christo nascente patrata prodigia vindicavi hæcenus, ac pergam in sequentibus vindicare; falsa quoque, quæ ortus ejus fingitur illustratos, refellerem, impugnarem. In iis vero illud maxime, quo silentium præcis Gentilium Oraculis, Christo nascente statim inditum, a viris etiam eruditissimis existimatur; quæ res, ut majoris longe momenti est, ita accuratioris inquisitionis, diligentiorisque criterii.

II. Primo igitur ad crifim veniat decantatum illud, & ab incerto Scriptorum Homiliae cujusdam Petro Damiani adscriptæ, omnium primo celebratum prodigium, de Romano Pacis Templo, qua nocte Christus Bethlehem natus est, momento temporis corruente; cui non pauci rerum Ecclesiasticarum Scriptores, iique non ignobiles subscribere, maxime vero Suerius, & Lipomanus, qui rem in hunc ferme modum patrata retulerunt. *Cum Romani in victoriosa antiquitatis memoriam Templum singulari schemate sacre decrevisset; ab omni illa Deorum, imo Demonum multitudine quæsterunt, usquequæ durare posset tam excellentis*

TRIGESIMASECUNDA. 109

operis operosa constructio; Responsum est: Donec Virgo pareret. Illi ad impossibilitatem Oraculum detorquentes, Templum æternum solemnem illam machinam vocaverunt. Noctæ autem ista, cum de virginali thalamo virginis flos Mariæ egressus esset, ita cecidit, & constructum est illud murale, & columnarum opus, ut vix apparerent vestigia ruinatum.

Ruere narrationem illam totam multo certius, quam ipsum Pacis templum, explorata res est. Nullum enim ante Christi ortum templum Pacis Romæ fuit, quod illo nascente ruere posset. Seu enim a Vespasiano Imperatore post devictos Judæos primum fuerit excitatum, uti Baronio visum est, & ex Svetonio, & Flavio Josepho fat bene colligitur: seu a Claudio extructum primo, tum a Vespasiano post ruinam instauratum, amplificatum, ornatumque fuerit, ut aliis probatur magis, & ex Sexto Aurelio Victore deducitur: Illud certe liquet, nullum Christo nascente Pacis templum Romæ extitisse, quod ruere posset. Josephus lib. 7. de Bello Judaico Cap. 24. *Post triumphos vero, & Romani Imperii firmissimum statum, Vespasianus Pacis templum edificari decrevit. Itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem superet, effectum est.* Svetonius in Vespasiano Cap. 9. *Fecit & nova opera: templum Pacis Foro proximam, Divique Claudii in Cælio monte, ceptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum.* Plinius lib. 34. Cap. 8., & lib. 36. Cap. 15. *Templum Pacis Vespasiani Imperatoris Augusti pulcherrimum opus.* Sextus Aurelius Victor in Epitome Historiarum in Vespasiano: *Capitolium, Eadem Pacis, Claudique monumenta reparavit.* S. Hieronymus in Cap. 3. Joëlis Propheta: *Vespasianus, & Titus Romæ templo Pacis edificato, vasa templi, & universa donaria in delubro illius consecravit: quæ Græca, & Romana narrat historia.*

Alio ex capite laudata narratio falsi convincitur; quod templum Pacis æternum a Romanis dictum referat, & quidem occasione responsi ab omni illa Deorum, seu potius Demonum multitudine dati. Neque enim ipsa templi moles, Paci a Vespasiano dicata, sed pax ipsa, æterna dicta est; ut ex veteri inscriptione liquet, quæ Romæ in ædibus Farnesianis lapidi insculpta legitur. De qua Baronium lege in Apparatu, & in Annalibus ad Annum Christi 77. Nec occasione fatidici Demonum responsi, æternitatis nota Paci a Vespasiano data est: sed quod is projecta Flavii Josephi adulatione delusus, redonata tunc Orbi pacem æternam duraturam existimaret; seque principem illum stulte crederet, de quo ab Isaia scriptum fuerat Cap. 9. *Vocabitur nomen ejus . . . princeps pacis, & multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis.* De reliquo Pacis templum arsit temporibus Commodi, ut est apud Herodianum, & Galenum lib. de Theriaca, hujusque ruine magnificentissimi edificii apparatus ostendunt prope montem Palatinum, ubi quondam via erat, quæ Sacra dicebatur.

III. Prodigium alterum alii referunt, a quo non proflus abhorret Cardinalis Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos: nempe *Genitricem Dei Mariam, infantem in ulnis gestantem, sublimem in ære ab Augusto Cæsare fuisse conspectam, monente Sybilla.* Quis patentem falsitatem non deprehendat? Nulla quippe sub Augusto Cæsare Sybilla superstes erat, quæ Imperatorem, ut intenderet oculos, admonere posset. Cumana enim omnium ultima vixit Olympiade quinquagesima, & Tarquini superbi temporibus Romæ fuit, si qua Solino Polyhistori fides est: Chri-

stus vero sub Augusto Mundo illuxit Olympiade 193. annis circiter supra quingentos septuaginta post Sybillas. Si quis autem ita fabulam cum Cardinali Baronio velit intelligi, ut Augustus, a Syllaba dicatur monitus, quia id futurum didicerat, lectis ejusdem Carminibus a Virgilio Elogia 4. recitatis.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas. Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo. Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna. Jam nova progenies Cælo demittitur alto. Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum Defuere, & toto surget gens aurea Mundo, Casta Lucina sæve &c.

Quæ, quæso, iis carminibus monitus esset Augustus, ut vel de Christo nostro in iis prænunciato cogitaret; cum hæc non de Christo, sed de Salonio Afmii Pollionis filio dicta retulerit Virgilius, Myfteriorum nostrorum plane rudis? Quid etiam, quod nulla illius ostenti apud veteres Scriptores, seu sacros, seu profanos extat memoria? Tameñ Patrum bene multi Sybillarum carmina ad Christianæ Religionis confirmationem retulerint, & Christo ipsi nascenti accommodarunt, ut Origenes lib. 5. contra Celsum, Justinus Martyr in Oratione ad Antonium Pium, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Lactantius lib. 1. Divinarum Institutionum Cap. 6. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei Cap. 23. quo casu nihil instituto magis congruum erat, quam datum Augusto Cæsari Sybillæ monitum insinuare, si quam forte illius noticiam habuissent.

IV. Tertium prodigium ponunt aliqui, Jani templum nascente Christo occlusum, quod antea fuerat refferatum. At id perperam prodigii loco haberetur. Ter enim Jani fores occlusit Augustus, ut patet ex Svetonio in Augusto Cap. 22. *Janum Quirinum semel, atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum, multo brevioris temporis spatio, terra marique pace parva, ter Clausit.* Hoc est, ut commentatur Joannes Schildius, prima vice, Anno Urbis conditæ septingentesimo vigesimoquinto, post victum Antonium: 2. Anno septingentesimo vigesimo nono, quum ex bello Cantabrico Romam redisset: 3. Circa tempora nativitatis Regis, & Pontificis Summi Jesu Christi Domini nostri: seu ut Byzæus, Norisius, & Pagius distincte notant, anno conditæ Urbis septingentesimo quadragesimo octavo; qui unus aut alter, ante Christi ortum, communiter creditur. Uno verbo, quoties illi summa pace frui datum est: is quippe mox erat a Numæ institutus. Quare, cum nascente Christo totus Orbis esset in pace compositus, quid mirum, si Jani fores occlusisset Augustus? Aut quid illud inter nascentis Christi prodigia numeretur? Maxime cum & hunc morem Jani claudendi servarint Imperatores Romani, Christo ad superos vocato. Clausit enim Nero anno Urbis conditæ 811. Clausit Vespasianus anno 824. Imo, quod mirere magis, sub Christianis Imperatoribus servatum est aliquandiu hoc institutum, uti testis est Ammianus Marcellinus lib. 16. qui clausi ab ipso Constantio Jani mentionem facit. *Concluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, victor Romanus revertitur.* Si tamen, quod Valefius putat, non est illa derisoria loquendi formula, ex præfco Romanorum usu perita; qua Constantium ludit Ammianus: quod Is Romam ex pompa ingressus esset, quasi concluso Jani templo, stratisque hostibus universis, solemnem triumphum egisset: non quod Janum re ipsa ex præfco Romanorum more clausisset.

V. Quartum prodigium sequitur fontis olei, quem

quem Romæ ea nocte manasse ajunt, qua Christus natus est, ac per dies aliquot defluxisse. Cui prodigium aliud additur, de tribus scilicet Solibus, qui paulatim in eundem orbem coierint. Verum, utcumque res ipsa fuerit, frustra inter Christi nascentis prodigia ponitur. Cum utrumque prodigium annis circiter quadraginta ante Christi nativitatem contigisse testentur, Eusebius in Chronico, Orosius lib. 6. Cap. 18. & Baronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos. Pli-nius quoque, qui lib. 2. Historiæ Cap. 31. tres soles apparuisse memorat, in unum tamen coivise non ait: quamquam tempore Augusti prope initium triumviratus, accidisse commemorat.

VI. Succedit quintum Christo nascenti intimus, si tamen veritate niteretur, prodigium, scilicet a Venerabili Beda narratum lib. de locis Sanctis Cap. 8. fontis aquæ e petra spelunçæ, in qua Christus natus est, subito scaturientis, ad Infantis abluionem, qui ad Bedæ usque tempora perennavit. Verum recentior est Venerabilis Beda, quam ut de prodigio, Christo nascente patratum, integram fidem faciat, nullo facti teste adhibito, vade nullo producto. Nec enim post annos circiter octingentos rescire per sese potuit, quid Christo nascente in spelunca contigerit. Hieronymus vero, qui sacrum illum locum multis annis incoluit, descripsitque, tam curiose, quam eleganter, nihil de prodigiali illo fonte vel leviter innuit, quem certe testis oculus novisset, si ad Bedæ usque tempora perennasset. Sed nec Beda ipse, qui hujusce portenti testis, etsi parum idoneus vulgo producit, fontem e petra miraculo natum dicit: sed rem simpliciter nar-rat, ut nihil in ea prima scaturigine prodigiale, ex ejus narratione colligere liceat: *Petra, inquit, juxta murum curvata primum Dominici Corporis lavacrum de muro missum suscipiens hætenus servat: que, si qua forte occasione, vel industria fuerit exhausta, nihilominus continuo cum respicit, sicut antea fuerat plena, redundat.* Non itaque, Beda judice, prima fontis scaturigine, sed illius, si forte exaruisse, restitutum prodigiale habenda est.

Sextum ex Zenone Veronensi prodigium exseribit Cardinalis Baronius in Annalibus, in Muliere obstericis officium, ad sacrum puerperium, exercent, patratum: quæ cum antea parientis Mariæ Virginitati fidem nollet adungere, atque ob id manus ejus fuisset incensa; mox ut Christum infantem tetigit, pristinae sanitati restituta est: *Obstericis incredula manus incenditur: (inquit Zeno Veronensis Sermone 2. de Nativitate Christi) qua, tacto infante, statim edax illa flamma sopitur. Sicque illa Medica feliciter curiosa, dum admirata Mulierem Virginem, admirata Infantem Deum, ingenti gaudio exultans, que curatum venerat, curata recessit.* At id ex Apocryphis haustum notat Eminentissimus Historicus: nec immerito. Nullam enim parienti Virgini obstericem adfuisse cumulatissime demonstravimus, Exercit. 29. Num. 5. Nec si forte adfuisse aliquid, pœnas illa datura erat, quod puerperæ Virginitatem, nondum factio experimento, credere noluisse: quo præsertim tempore, necdum Deus Marianæ Virginitatis mysterium mortalibus referaverat. Addam, totam illam, de curata obsterice incredula, Zenonis Veronensis narratiunculam, ex recentibus Sermonum illius Editionibus, ad manuscriptorum Codicum fidem recognitis, expunctam esse. Adeo est illa non modo falsa, verum etiam apocrypha.

VII. Nunc in illud majori cura, majorique studio inquirendum est nascentis Christi prodigium, quod uti in ejus gloriam maxime cedere visum est, ita majori constantia a plerisque asse-

ritur, defenditur, vindicatur: a Nicephoro lib. 1. Hist. Cap. 17. a Suida in Historia V. Augustus, a Cedreno in Compendio, a Baronio in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos. Prodigium illud intelligo, quo Christus natus priscis Gentium Oraculis, ac maxime Apollini Delphico silentium dicitur indixisse: ut plane Christo nascente derepente conticuerit, nec ultra quærentibus usitata responsa dederit. Cujus rei tam insolitæ causam, cum ab ipomet Apolline quaesisset Augustus, istud demum de Tripode responsum accepit; non latine quidem, sed græce.

*Me puer Hebrews Divos Deus ipse gubernans
Cedere loco jubet, tristisque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc taciti discite nostris.*

Fateor, me tanto prodigio fidem dedisse aliquando, summorum virorum, a quibus traditum est, auctoritate delusum: at re postmodum penitus inspecta, ac maturius examinata, deprehendi, esse falsissimum. Sive enim factam primum in priscis Oraculis, ac præsertim Apolline immutationem, obscuracionem, remissionem spectes, unde paulatim a prisca apud Gentiles exultatione deciderant: sive illorum integram defensionem, cessationem, intermissionem attenderis, cum scilicet penitus conticuerit; non a Christi Natali, sed aliunde petenda origo est. Obscuratio siquidem, atque remissio diu ante Christum annis amplius sexaginta originem habuit: integra autem defecio, ac cessatio longe post Christum, imo post annos a Christo nato circiter quadringentos. Quæ duo ubi semel in aperto fuerint, ruet undecumque jactata fabella, de silentio falsi Gentium Oraculis indico, nascente Christo.

VIII. Ad primum quidem quod attinet, perspectum est, jam ab ipsa Ciceronis ætate, annis ante Christum natum circiter sexaginta, ac diu ante, minori in pretio esse cœpisse Delphicum Oraculum, quod minorem in ejus responsis veritatem experirentur ipsinet Ethnicis. Constat id ex Quinto Ciceronis itate, apud Ciceronem lib. 1. de Divinatione sua loquente: *Nunquam illud Oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuisset, nisi omnis ætas Oraculorum veritatem esset experta. Jam diu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria est, quia minus Oraculorum veritas excellit; sic tunc, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset.* Cur porro minore veritate jam tunc starent Oracula illa, rationem inquirens, non aliam esse ait, nisi quod vetustate loci evanuisse falsus ille terræ anhelitus, quo solebat antea Pythiæ mens incalcescere.

Hanc ipsam dudum factam in Delphicis Oraculis immutationem agnoscit Cicero ipse lib. 2. de Divinatione; quamquam allatam a Quinto rationem minime probet: fieri non posse, inquiens, ut Divina vis, qualis profecto fatidica erat, loci vetustate evanuerit. Sed & insuper alteram inductam in Oraculis mutationem, & obscuracionem agnoscit; quod non ultra Carmine redenderent ut antea, sed prosa, solutaque oratione; quæ res Apollinem in contemptum adduxisset, ob id maxime, quod adstrictus numeris sermo Deorum proprius esset. *Pyrrhi temporibus, inquit Cicero, jam Apollo versus facere desierat. . . Cur isto modo jam Oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed jamdiu, ut nihil possit esse contemptius? Si qua ergo Oraculi Delphici obscuratio, & immutatio fuit, hæc non a Christi natali, illiusve occasione, sed diu ante originem habuit. Quæ prima asserti nostri pars est.*

IX. Sed nec penitus siluisse post Christum prophana Gentium Oracula, (quæ pars asserti nostri altera est) ac in illis maxime Delphicum il-

lud toto Orbe celeberrimum, sexcenta momenta evincunt, ac ipsius etiam Plutarchi suffragium, quo nonnulli perperam abutuntur. Quamquam enim peculiarem Tractatum de Oraculorum defectu adornavit sub Trajano Imperatore, quo solo inspecto titulo, perique deluduntur, ut ea omnino, ac penitus defecisse sibi persuadeant; si quis tamen Tractatum diligenter evoluerit, expenderitque, nullo negotio deprehendit, Oracula ex parte tantum defecisse tunc, ac substituisse ex iis aliqua; atque in illis maxime Apollinem Delphicum, qui sua etiam tunc responsa Consultoribus redderet, etsi minore quam antea celebritate, atque frequentia, quod ad præsens institutum nostrum abunde sufficit. Plutarchi disertissima verba sunt: *Videamus Oracula, que in his sunt locis, obsolescisse; atque adeo duobus, aut tribus exceptis, omnia defecisse.* In iis porro exceptis, Delphicum Apollinem fuisse, (quod hic maxime quaeritur) qui etiam tunc Consultoribus responderet, manifestissimum est; subiungit enim paucis interjectis: *Postquam Dei voluntati Græcia urbibus crevit, & locus Apollinis frequentari hominum copia cœpit, duobus usi sunt Variis, que per vices ad cortinam sederent; etæque etiam tertia designata, tamquam assidens iis. Nunc unica est Antistita: neque incusamus, cum ejus opera Consultoribus sufficiat. Non igitur incusandus est Apollo; divinatio enim, que reliqua est, omnibus sufficit, & nunquamque, adeptum quod voluit, dimittit. Et Tractatu sequenti, qui peculiariter agit de Inscriptione templi Delphici foribus adscripta, ita habet: *Apollo noster, cum difficultates vitæ incidentes sublevar, atque dissolvat, edendis Oraculorum responsis; eas tamen, que circa doctrinam sunt, relinquit, & proponit excutiendas ei animi facultatis, que studio sapientiam sectatur.* Extrahit ergo etiam Plutarchi ætate, ac sub Trajano Imperatore Delphicum Oraculum, suaque Consultoribus responsa dabat, quanta sublevandis vitæ difficultatibus abunde sufficerent. Non itaque nascente Christo Dominio penitus conticuerat.*

Quare dum legimus apud Juvenalem, Satyra 6. *Delphis Oracula cessant, & apud Lucanum lib. 5. Delphica sedes siluit;* ad sensum Plutarchi, qui & Lucano, & Juvenali superstes vixit, intelligendi veniant: siluisse nimirum, atque cessasse Oracula fundi ea celebritate, Consultorumque frequentia, qua antea fundebatur; dum vix tres Antistites implendo muneri satis essent: non omnino tamen siluisse, atque cessasse; quandoquidem una saltem Antistita, teste Plutarcho, ad cortinam sedebat, quæ propositas difficultates dissolvebat. Aut certe cessasse Oracula Delphis, dixerit Lucanus, & Juvenalis ad certum tempus, dum Nero Imperator, teste Dione, & Pausania, Delphicum Templum iturus, ac reditibus spoliavit, multorum hominum caede polluit, violavitque; ita tamen ut subinde in statum pristinum redierint universa. Quamquam tamen si Juvenalis, & Lucanus conciliari cum Plutarcho non possent, nemo non videt, in ea opinionum diffensione, Plutarcho rem totam esse instituto, ac pro Philosophi, & Historici munere pertractanti potius standum esse, quam Poetis, rem obiter, ac solita genti huius licentia insinuantibus. Maxime cum & hæc ipsa ætate, qua florebat, ac securis inde temporibus, data Delphica Oracula bene multa Scriptores alii contestentur. Quæ res statutam a nobis assertionem, (non cessasse prorsus Oraculum Delphicum nascente Christo) magis, magisque confirmat: etque idecirco diligentius demonstranda.

X. Svetonius in Nerone Cap. 40. conceptissimis verbis habet: *Eum, consulto Delphis Apolline, audivisse: Septuagesimum, ac tertium annum*

caevendum sibi esse; quod ita intellexit Nero, quasi eo demum vitæ suæ anno obiturus esset. Cum contra de ætate Galbæ dixisset Apollo; a quo nimirum septuagesimum tertium annum agente, Imperium Neroni ereptum est.

Philostratus in vita Apollonii Tyannai, qui Domitiano Imperante vixit: *Apollonius, inquit, invisit omnia Græciæ Oracula, maxime vero Delphicum, Dodonæum, & Amphiaræum. . . Tum multis interjectis: Apollinem Delphicum adeas in media Græcia oraculis illustrem: paucis verbis, ut ipse probabis, Consultoribus responderet, nullis prodigiis editis; quamquam & Parnassum concutere, & Castalios fontes in vina vertere, facillimum ei fuerit. Verum ille simpliciter narrat, nec inutiliter potentiam ostentat.*

Dio Chryostomus, Adrianum Imperatorem Oraculum Delphicum consuluisse, scribit, responsumque tulisse obscurum admodum, & intricatum. Quoddam vero fuerit illud, nusquam legere contigit.

Spartianus rem narrat lepide festivam, scilicet, cum extincto utroque Antonio, de Imperio contenderent Severus Septimus, Pescennius Niger, Clodius Albinus; a Delphico Apolline quaesitum est: quis horum melior Reipublicæ futurus videretur? Ad quod ille simplici carmine respondit: *Optimus est Niger, & bonus Afer, pessimus Albus.* Nigri nomine Pescennium Nigrum intelligens; nomine Afri Severum Septimum, ac Africa oriundum; Albi nomine Clodium Albinum. Interrogatus subinde: quis horum futurus esset Imperator? Respondit: *Afer erit, Nigri sanguis fundetur, & Albi: atque ita res accidit.* Severus enim patria Afer Imperium obtinuit, Pescennius Niger, & Clodius Albinus ferro perierunt.

Eusebius lib. 2. de Vita Constantini Cap. 49. ad id usque temporis iterisse Oraculum Delphicum, suaque, tametsi falsa, responsa dedisse, proficitur. Notat enim: *Apollinem sub id temporis, hoc est, sub initiis Constantini Imperatoris, Apollinem, inquam, ex antro quadam, & tenebrioso recessu, non ex Sacerdotis ore oraculum istud dedisse: Justos, qui in terris versabantur, impedi-mento ipsi fuisset, quominus vera loqueretur: & præterea falsa oracula ex tripode edita esse.* Oracula ergo reddebat etiam tum, tametsi falsissima: quod instituto meo probando, confirmandoque perinde est. Absit enim, ut vera semper oracula ab ipso reddita putem, etiam dum floreret maxime. Satis mihi est, si qualicumque illa fuerint, ea tamen ad Constantianum usque reddita fuisse convincam. Post hæc, Delphicum Apollinis Templum expilari iussit Constantianus, uti laudatus narrat Eusebius lib. 3. de ejus vita Cap. 22. Non id tamen obscurat, quominus post Constantianum ipsam Julianus Apostata, cum bellum meditaretur in Persas, eundem cum reliquis Oraculis consuluerit, grataque, tametsi falsa, responsa ex-ciperit. Testis mihi sit Theodoretus lib. 3. Historiæ Ecclæ. Cap. 18. *Antequam arma sumeret, inquit ille, misti nuncios ad Delphos, ad Delum, & Dodonem, ad alia denique Oraculorum loca, sciscitatum Vates: utrum bellum ei gerendum sit? Illi autem bellum suscipere jubent, pollicenturque victoriam, falso tamen; confosus enim Julianus in prælio, paulo post male perit.*

Num alia secutis temporibus responsa dederit Apollo Delphicus, haud satis scio; id tamen non dubitaverim affirmare, nulla posterioris ævi, & a sacris, & a prophanis Scripturibus memorari commendari. Ut plane ultima verba, ac summum vale Juliano Apostata dedisse videatur, anno post Christum natum circiter quadringentesimo.

Ex dictis hactenus cernitis, opinor, quantum illi a vero aberrant, qui silentium Apollini inditum dicitant nascenti Christo, ultimaque responsa Augusto Imperatori reddita fabulantur; quæ nonnisi post annos quadringentos Juliano Apostata reddita sunt. Quamquam & alio ex capite in sumum abeat tota illa consulti ab Augusto Apollinis fabula. Quod nempe nobis Imperatorem Augustum exhibeat, qui præfens Delphis Apollinem consulat, puero hebræo, seu Christo jam nato, quaratque ex eo tanti silentii causam. Puer enim hebræus, seu Christus anno Imperii Augusti 41. natus est: Augustus vero post annum Imperii sui 21. quo pridem in Græciam perrexerat, non ultra illuc iter intendit. Quo itaque pacto Delphis præfens Apollinem consuluit, post annum Imperii sui 40. Concilient ista qui possunt.

XI. Ast erit forte, qui pie, ac religiose nobis objiciat: numquid non ad majorem Christi nati gloriam cederet, si derepente silentium falis Numiniibus inditum esset, ne ultra malus genius falis oraculis homines luderet? Quid magis congruum, quam ut, nata inter homines veritate, silentium patri mendacii imponatur? Belle id quidem, ac religiose fati. Velim tamen ego vicissim, a piis illis, ac religiosis quæstoribus percontari, nostrum ne sit, humana ratione investigare: quid magis, quidve minus in Dei gloriam cedat? Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, ut hæc, aut illa miracula edat, quæ nobis in ejus gloriam magis cedere videbuntur? Certe si rem humana ratione metiri velimus, in majorem etiam Christi nati gloriam cedere videretur, si nascente illo, omnia derepente toto Orbe falorum Numinum simulacra corruissent: si prophana gentium omnium sana momentum collapsa essent: si omnium Nationum barbararum Reges, ac Principes adoratori convenissent: si tota derepente Synagoga ad fidem conversa in ejus clientelam se contulisset. Ergone rem ita gestam dicemus, facti veritate palam, aperteque repugnant? Abiit plane. Quid honor ejus, quid gloria postulet, novit ille: quid rei fuerit, nostrum est investigare, veritatemque ad certos historice calculos exigere, procul ablegatis religiosis illis Commentis, piisque vigilantium hominum somniis, quæ nullum in schola Theologica locum habent. Neque tamen inditi tandem aliquando silentii gloriam, alteri quam Christo fidei nostre consummatori, tribuimus; qui eam, quanta quanta est, Evangelica prædicationi adjudicamus. Ea quippe effectum est, ut homines veritatem paulatim edociti, patrem mendacii Dæmonem consulere, & auscultare desierint, prophanam gentilitatem exuerint: *Conversi ab his vanis ad Deum verum, qui fecit Cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Act. 14. v. 14.

EXERCITATIO XXXIII.

De Christo Circumciso.

I. Quam fuso sermone de Christi Nativitate dixerat Lucas, tam brevi, atque conciso de ejusdem Circumcisione dixit, Cap. 2. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Ea res nos quoque in eam mentem adduxit, ut qui de Christo nascente fufe, lateque disputavimus, de eo jam circumciso breviter, ac parce dicamus. Neque enim pluribus opus est iis expediendis, solvendisque difficultatibus, quæ hujusce Mysterii occasione moveri possunt, haud ita graves, & scopolosæ. Sitne re ip-

sa Christus Dominus circumcisus? Qua ratione, quæ de causa? Ubinam, & a quo? Quid demum de recisso præputio sentiendum? Quæ omnia paucis, si Deus dederit, expediemus.

II. Monstro fortasse simillimum videatur, illud quoque in questionem venire potuisse, fueritne re ipsa Christus Dominus circumcisus? Fuit tamen, qui dubium moverit: non modo quia nulla in Christo Domino Circumcisionis necessitas videbatur, verum etiam quia peractam Circumcisionem inficiari videret Evangelium, si attentius perpendatur. Dum enim inquit Lucas: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus;* Christum profecto non asserit circumcisum; sed solum Jesu nomen fuisse ille impositum, dum Circumcisionis tempus elapsum est: a designato enim Circumcisionis tempore, ad nominis impositionem transitum facit, tacita Circumcisionis administratione. Imo dum Jesu nomen illi impositum est, ita Circumcisionis tempus elapsum erat, ut jam debite administrari non posset. Hæc enim octavo ipso die conferebatur: nomen autem Jesu Christo impositum fuit, *postquam consummati sunt dies octo:* seu postquam transacti sunt dies illi. Perperam ergo tunc creditur circumcisus.

Verum pura, putæque cavillationes illæ sunt, ex mera periodi Evangelicæ æquivocatione obortæ. Hebraismus siquidem illic est. Hebræorum enim verba actum sæpe significant inchoatum, non perfectum: sic Luca 2. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus...* *tulerunt illum in Jerusalem:* hoc est, dum impleti fuere: & Marci Cap. 8. *Oportet filium hominis post tres dies resurgere;* id est, die tertio. Quare, *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer,* idem illic sonat, ac postquam cæpti sunt consummari, quod utique fit, dum septem diebus transactis, octava demum Circumcisioni destinata inchoatur. Ac tunc quidem circumcisus est Christus. Neque refert, quod illum circumcisum expresse non asserat Evangelium: satis quippe est, quod dies octo consummatus dicat, ut circumcideretur; ad quid enim id adnotasset, nisi re ipsa circumcisus esset? Maxime cum Jesu nomen ei tunc inditum dicat, quod nonnulli in Circumcisione solebat imponi: ut ex Joannis Circumcisione competat est, Luca Cap. 1. v. 59. Idcirco autem circumcisum puerum distinde, aperteque non dixit Lucas, uti profecto Jesu nomen illi impositum conceptissimis verbis asserit; quia consuetum erat, ac lege præceptum, ut infantes octavo die circumciderentur; idcirco id tamquam indubitatum, manifestumque supponere maluit, quam distinde narrare: at quia Jesu nominis impositio propria, ac peculiaris illi fuit, ideo de illa peculiariter dixit.

Subjungit ad solutionis cumulum Cardinalis Cajetanus, deesse in vulgata versione conjunctionem, & quæ extat in Græco Textu: *Et vocatum est nomen ejus Jesus,* quæ manifeste supponit, fuisse puerum circumcisum, & præterea eidem Jesu nomen impositum: adeoque Vulgatum Textum casu aliquo fuisse concisum, siquæ omnino restituendum esse: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, circumcisus est, & vocatum est nomen ejus Jesus &c.* At totum id pro arbitrio factum est. Quamquam enim conjunctio in hodierno Græco Textu legatur, nullum tamen in eo concisæ, ac vitiatæ propositionis vestigium extat; longæque certius est; conjunctionis hujus additamentum hodiernorum Græcorum Codicum vitium esse: cum Versiones Syriaca, & Arabica, quæ ad Græci Textus fidem jam a primis sæculis expressæ sunt, veteresque Patres,

tres, cum Græci, tum Latini, locum illum Luca absque ulla conjunctione retulerint. Frustra itaque ad propozitæ difficultatis solutionem, suffragium istud Cajetani quæserimus, quæ satis abunde aliunde soluta est.

III. Etsi porro nulla Christo Circumcisionis necessitas fuerit, tum quod nullum in eo delendum esset originale peccatum, tum quod Legislator legi non esset obstrictus; congruentes tamen rationes adnerant longe multæ a D. Augustino Serm. 9. de Nativ. a S. Leone Magno Serm. 2. a D. Thoma 3. par. quæst. 37. art. 1. delibata, quarum istæ potissimæ sunt. 1. Ut se verum secundum carnem Abraham filium demonstraret. 2. Ne Judæi eum ut incircumcisum averfarentur, illiusque prædicationem repellerent. Incircumcisi enim nec docere in Templo poterant, nec Sacrorum participes fieri. 3. Ut qui in similitudinem carnis peccati factus esset, remedium, quo caro peccati mundari consueverat, non respueret. 4. Ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret: juxta illud ad Gal. 4. *Misit filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* 5. Ut illius interim Divinitas occultaretur Diabolo. 6. Ut jam a puero passionem suam inchoaret. Illi enim præ cæteris pueris dolorem intulit Circumcisio, quia jam tunc rationis usum habebat. Ultima, ne Judæi, qui Divinam ejus generationem, & impeccantiam ignorabant, scandalum ex neglecta Circumcisione paterentur, eundemque legis violatorem haberent.

IV. Cavendus hic tamen venit popularis error, quo Christus in Templo, ac etiam a Summo Sacerdote circumcisus communiter creditur; Pictoribus pro more suo falsam, absonamque opinionem foventibus. Circumcisio quippe ritu Judaico, nec in Templo, nec in Synagogis fieri solita erat, sed in privatorum domibus, alioque quocumque libero loco, in quem cognati, & amici convenirent. Id a prima illius institutione videas. Abraham domi circumcisus est: idemque filium, vernaque omnes domi circumcidit, Gen. Cap. 17. v. 23. 24. 25. 26. Sephora filium suum in Diversorio, dum iter ageret, circumcidit Exodi Cap. 4. v. 25. Josue totum trajecto deserto popululum circumcidit, in Valle præputiorum, Josue Cap. 5. v. 3. Utque ad ipsa Christi Domini tempora veniamus, Joannes Baptista domi citra dubium circumcisus est; cum præfens Circumcisioni mater ejus adesset; quæ cognatis Zachariæ nomen puero imponentibus dixit: *Nequaquam, sed vocabitur Joannes,* Luca Cap. 1. v. 59. Hæc enim octo dumtaxat dierum puerpera cum esset, domo exire non poterat, ut in Templum, aut etiam in Synagogam sese conferret; sed ex præscripto legis in sanguine purificationis suæ per dies tringentes manere tenebatur: Levit. Cap. 12. v. 4. Fallunturque, qui putant, Joannem, aut in Templo, aut in Synagoga fuisse circumcisum, non domi, propterea quod scriptum sit: *Factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum;* nemoque in domum suam ad Circumcisionem venire dicatur. Non enim Joannis parentes, Zachariæ & Elizabeth, domum ad Circumcisionem pueri venisse dicuntur, sed cognati, & amici; illi scilicet, qui vocabant eum nomine patris sui Zachariæ, ut expresse notatum est, quippe a Joannis parentibus reprehensi sunt, Joannem vocari jubentibus.

In spelunca itaque Bethleemica circumcisus est Christus. Ita S. Epiphanius Heresi 20. *Natus est in Bethleem, & circumcisus in spelunca, oblatum in Jerusalem, in ulnas acceptus a Simone.* Ita & Nicephorus Callixtus lib. 1. Hist. Eccles. Cap. 12. *In die octavo, Dominico scilicet, circumciditur* Serry Tom. III.

in Bethleem in domo Josephi, ubi nimirum hospitabatur: propriam enim domum Bethleem in Judæa non habebat, sed Nazarethi in Galilæa. Ne leve hujus momentum extat in Evangelio, ubi distinde notatur, Christi parentes Bethleem mansisse usque ad diem quadragesimum, quo primum tempore Jerusalem perrexere: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent cum Domino &c.* Ut quid ergo octavo die in Jerusalem Templo fingitur circumcisus? Et quidem a Summo Sacerdote, quæ altera fabulæ pars est longe putidior.

Circumcisio enim Ministerium Sacerdotale non erat, ac ne Leviticum quidem, sed mere Laicum. Patres-familias ministerium istud obibat, ut constat ex Genesi Cap. 17. v. 23. 24. 25. 26. & Cap. 21. v. 4.: ex Actibus Apostolicis Cap. 7. v. 8. Imo id Ministerii plerumque matres obibat: ut Sephora Exodi 4. v. 25. ac mulieres duæ religiose ab impio Rege Antiocho de muro dejectæ lib. II. Machab. Cap. 6. v. 10. & lib. I. Cap. 1. v. 63. Ab alterutro ergo parente fuisse Christum Dominum circumcisum, certo liquet: a quo tamen, disputatur. A Maria circumcisum scribunt, Auctor libri de vera Circumcisione inter apocrypha Hieronymi Tom. 9. *Christus octava die circumciditur a Maria;* & Auctor Libelli de lamentatione Virginis, inter apocrypha D. Bernardi: *Virgo Christum genuit, lactavit, octava die circumcidit.* At ex spuris Opufulcis omni profrus auctoritate vacuis nihil certi elicias. A Josepho itaque Christum Dominum circumcisum fuisse, longe probabilius existimaverim. Primum quidem, quia id disertissime docet S. Ephrem Syrus in Oratione de Transfiguratione, ubi, cum Christum veram carnem assumptis profandum aggressus esset, argumentum quoque ex illius Circumcisione petit inquires: *Si non erat vera caro, quem ergo Joseph circumcidit?* Secundo, quia in veteri lege eo ministerio, viri capita familiarum pro more defungebantur: mulieres nonnisi extra ordinem, absentibus viris, atque urgente necessitate; adeoque nec Virgo, tamesi robore mentis infracto, ad omnes Dei voluntates exequendas, recedere ab eo usu voluisse, censenda est. Hocque ministerium Joseph, ut moris erat, ultro commisit.

Hinc potiori titulo falsi convictam vides Agriensis Abbatis hallucinationem; quæ novo absurditatis genere Christum circumcisum effutit, *ab Sacerdote ad id muneris destinato, & ex Bethleemico Templo in sacram speluncam a Deipara advocato.* Quali vero sacerdotale ministerium Circumcisio unquam fuerit, aut aliquid Bethleemi Templum unquam extiterit?

V. Gemina nunc quæstio relinquatur, haud ita solutu facilis: Num extet etiamnum in terris, ad publicam fidelium venerationem, Christi præputium? Ac ubinam? Priorem quæstionem perantiquam aliqui putant, quod nonnihil ea de re legerint in Commentariis Titi Bostrorum Episcopi, qui sub Juliano Apostata floruit, obiitque sub Valente Imperatore anno 365. Verum scire illos oportet, Commentarios illos Titi Bostrensis esse non posse, in quibus passim citantur Chrysofomus, Cyrillus Alexandrinus, Isidorus Pelusiota, qui adhuc pueri erant, cum Titus extremum diem oberat. Non a Patribus ergo, sed a Theologis de Schola, controversia mota est, difficultatem præbente Dominici corporis integritate, quam post ejusdem resurrectionem retinendam esse, nemo dubitat. Christum enim integro corpore surrexisset, ac nunc in Cælis regnare, in confesso est apud omnes: si ergo ad ejus integritatem,

tatem, præputium pertinet, illud certe resurgendo resumpsit: si porro resumpsit, quo pacto, quoque modo servatur in terris? Vix credas, quot hic nugæ Theologi nonnulli loquantur, ut ista concilient. Sunt qui Christum resurgentem ex alia quâpiam materia præputium efformasse, sibi que aptasse dicant: atque adeo, & extare præputium etiamnum in terris, & suo quoque præputio instructum esse Christi corpus in Cælis. Ita Theophylus Raynaudus lib. 2. de Christo, Sect. 3. Cap. 3. At si sic est, non suo, sed alieno præputio auctum est Christi corpus; adeoque nec integrum est: perinde, ac si cui nasus abscissus est, alium sibi quacumque arte nasum aptaret. Ecquid etiam absurdum magis, quam Christum sibi fingere, aliud sibi præputium aptantem, ut proprium in terris relinqueret, quod ad proprii corporis integritatem pertineret? Nisi forte ex altera corporis Christi materia, quæ per continuam nutritionem resoluta fuerit, efformatum præputium didicent. Quod minus verum haberet absurdum, non est tamen admodum verisimile.

Quapropter illud e contrario statuendum existimo: idcirco Christi præputium etiamnum in terris ad publicam venerationem aservari, quod hujusmodi exigua pars, seu verius tenuis pellicula exiguam partem obtegens, ad corporis resurgentis integritatem minime pertineat, præsertim in Abrahamæ Filio, viroque Judæo, qualis profecto Christus erat, quia ita illius conditio postulabat. Certe Christum resurgentem vestigia vulnerum retinuisse, Thomæ increduli Historia fati evincit, Joannis Cap. 20. Hæc enim spectanda, atque tangenda Apostolo dubitanti palam exhibuit. Ea autem vestigia vulnerum retinuit in signum reportati triumphi, quin propterea corpus ejus e tumulo suscitatum, minus integrum censetur. Quidni ergo vestigium perinde susceptæ olim Circumcisionis retinuisse, levissimam scilicet cicatricem, ex abscisso præputio relicta, in signum susceptæ olim carnis ex Abrahamo, sine ulla integritatis injuria?

Sed est, inquit aliquis, pars illa quantumvis exigua, sive pellicula, ad humani corporis integritatem omnino pertinens. Sit ita forte, si corpus humanum nude spectemus; minime tamen, si corpus, ut viri Judæi est, attendamus. Sic enim pellicula illa velut excrementitia reputatur, quæ ad corporis munditiam resecanda est. Quare rem totam moraliter spectando, Christi corpus, ea licet exigua parte minutum, integrum est. In eum ferme modum Doctor Angelicus quæstionem solvit de sublata Adamo costa, ex qua formata est Heva, solitam agitari: Num scilicet, ad humani corporis integritatem attineret, nec ne? Numve, ea sublata, mutilus manserit Protoperens? Pertinebat, inquit ille, ad humani corporis integritatem, antequam auferretur; non ut erat Adamus peculiaris, ac privatus homo, sed ut erat humani generis caput, ex quo secundum Divinam destinationem Heva formanda erat: atque ita ea costa minutus Adamus, mutilus idcirco non fuit. 1. Par. quæst. 92. Art. 3. ad 2.

VI. Quæstionem alteram, ubinam in terris præputium extet, nemo certo definit in tam diversis, tamque repugnantibus Historicorum narrationibus, quas secum conciliare impossibile sit. Romani eo thesauro gloriantur; quem primo ad Carolum Magnum ab Angelo delatum, & ab eo Aquilgrani in Templo Divæ Mariæ depositum dicunt: dein Carolum translatum: ac demum in Basilica Lateranensi Romæ, in loco, quem *Santa Sanctorum* appellant, reconditum arbitrantur. Quod etiam Diva Brigitta sibi a Virgine Deipara revelatum scribit, lib. 6. Revelat. Cap. 112.

fuisse tamen illud idem furto sublatum a Milite, anno 1527. in direptione Urbis; ac tum demum in Pagum nescio quem agri Romani; quem *Calcatum* de more vocant, tertio translatum, in Templum SS. Cornelii & Cypriani; memoriæ prodidit Cardinalis Toletus, Annotatione 31. in Caput 2. Lucæ; ex illustrium, ut ipse ait, seminarum testificatione, & Magdalene Scrotiæ; Clariæ ejusdem filiæ, & Emilie Ursinæ. Antuerpienses eodem perinde thesauro gloriati sunt, quem ante annos amplius sexcentos ad populares suos translatum autumant, ab Henrico Noëcio Regii Sacelli Præfeto, regnante Jerosolymis Godefrido Bullonio. Ita Bollandus Tom. I. de Actis Sanctorum. Inde tamen sublatum alii volunt sub annum 1556. quo, immani Calvinianorum furore, Belgii Tempia, atque Sacraia direpta sunt. Ita Franciscus Coiterus Medit. 4. Servari Parisiis, ac etiam Brugis, scribit Joannes Gersonius sermone in festo Paschatis habito: qua de re nihil unquam audivi, dum Parisiis degerem. Belleforestus lib. 1. Cosmographie Pictavis quondam olim servatum monet, in celebri Abbacia Caroli: sed Calvinianorum infans furore sublatum decimo sexto vertente sæculo. Odo Giffesus lib. 1. Historiæ Aniciensis Cap. 17. aliique bene plures Anicii ad hanc usque diem servatum contentantur.

Ecquis porro pugnantem narrationem tam multas conciliare poterit? Rideo enim Vindelinum in Supplemento Gabriellis in 4. dist. 44. quæst. 1. qui, ut litem tot inter contendentes obtortam amice dirimat, minutulas ejusdem præputii particulas, diversis de tanto thesauro gloriantibus Urbibus impartitus est, ut Salomonis Judicium imitaretur: *nec mihi nec tibi, sed dividatur*. Hanc etenim partitionem præputii exiguitas minime patitur, quod vix minima unguis humanæ latitudinem æquat. Ridendus ille multo magis, qui replicatum divinitus pro locorum multitudine præputium comminuitur. Cum etenim perpetuum miraculum istud esset, absque gravi auctoritate, contra quam nulla detur exceptio, fingi non potest. Nihil itaque certi ea de re statui potest. Factum bene, quod ab hujusmodi controversiis Christiana Religio minime pendat.

VII. His verbis tota pridem claudebatur Disputatio. Corollarium nunc addere cogor, ut domestici cujuspiam declamatoris audaciam coerceram ac retundam; qui de Christi præputio, in litteraria fratrum collatione sermonem faciens, ut nuspam illud in terris, ad publicam venerationem, relictum ostenderet, in me meanque Excitationem, inurbane & inhoneste stylum exercuit. Non quod me multum Ardellionum judicia tangant, sed quod grave feram, ab iis ipsis fictitios mihi errores audacter assigni, qui in patentissimos misere dilabuntur. Audiamus itaque quid tanto tulerit magnus promissor hiatus.

Carpit ille primum quod obiter dixi numero 5. *Rem totam moraliter spectando, Christi corpus suscitatum a mortuis, ea licet exigua parte minutum, præputio nempè, integrum esse*. Quasi ego brevi illo verbo, Christi Resurrectionem, ex moralibus tantum, non ex physicis æstimaverim; totumque quod in Christi corpore physicum fuit, suscitatum negaverim. Quocirca Doctorem mihi Angelicum objicit in vera propriaque hominis resurrectione postulante, *ut totum illud quod ex semine generatum est, resurgat*. . . . *Urque secundum quantitatem, figuram, situm, & ordinem partium, homo resurgat*. In Supplem. quæst. 80. art. 4. & 5. Indeque Christum Dominum minus vere & integre suscitatum colligit Declamator, si absque præputio; ut ipse quidem statuit, surrexisset.

Quis

Quis primo statim aditu nugacem cavillatorem non rideat? Ego enim Christi corpus præputio minutum, adhuc bene integrum dixi, re tota moraliter spectata: tum quod minutissimæ pelliculæ iactura, relictaque inde cicatrix longe levissima, corporis integritati nihil officiat: (quod relictaurum Crucifixionis cicatricum exemplo, palam evict.) tum quod abscessa viro Hebræo pellicula, morali æstimatione, superflua illi, ac velut excrementitia judicetur. Annon quæso ita Theologi communiter sentiunt? Quare nihil me Doctoris Angelici objecta auctoritas urget, sed juvat potius; qui quoties integrum hominem suscitandum, omneseque illius partes in resurrectione recuperandas pronunciat; illas profecto partes intelligit, intelliguntque Theologi universi, quæ ad humanæ naturæ veritatem, Corporis integritatem, adhuc etiam ornatum, decorumque pertineant. Quo numero tantum abest, ut præputium in viro præsertim Hebræo censetur, ut illo potius, tamquam superfluo, ac velut excrementitio minui posset. Sicubi autem suscitandum etiam hominem innuit Doctor Angelicus, eadem servato ordine partium, quantitatisque continuatione retenta; quæ relicta Circumcisionis cicatrice, tantillum soluta videri potest: hoc ipsum, ubi de Christo Domino sermo fuit, temperavit sanctissimus Doctor; occasione scilicet susceptorum in Cruce vulnerum, quorum cicatrices in suscitato corpore perennarunt: *illa apertura vulnerum, quamvis sit cum aliqua solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur, per majorem decorem gloriæ; ut corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum*. 3. par. quæst. 54. art. 4. ad 3. Quæ sane compensatio, multo facilis in Circumcisionis cicatrice fieri potuit, si eam Christus Dominus, resurgendo servatam voluit: cum & continuationis solutio illic fuerit longe minor; & materiæ quantitatisve duntaxat superflua, atque excrementitiæ resectio facta sit. Est itaque Christi Domini corpus, a mortuis suscitatum, Cæloque triumphans, factum integrum atque perfectum ex Angelicæ doctrinæ principis, exacto licet præputio, terrificæ relicto. Quod ante me magui nominis Theologi tradidere, D. Bonaventura in 4. sentent. dist. 12. dubio 2. Cardinalis de Turrecremata in Caput *Invidat*, de Consecratione dist. 2. Sylvester Prievas sacri Palatii Apostolici Magister; eadem ipsa quam dedi ratione nixi, ac bene freti; quod præputium particula corporis superflua sit, nec ad humanæ naturæ veritatem, integritatem, ornatumque pertineat. Quemadmodum nec ad Dominici corporis integritatem pertinere dicuntur nonnullæ naturalis etiam sanguinis guttulæ, quas Christus ex communi Theologorum sententia, ad publicam venerationem, reliquit in terris.

Eccur ergo, urget fervidus Declamator, contestatur Apostolus, *nullam in Cælis esse, sive Judæi, sive Gentilis, sive Græci distinctionem*; si Christi Domini corpus, adhuc etiam Cælo regnans remanet circumcisum?

Lepide sane! Eccur vero, inquit ego, si ad rem itam Apostolo dictum trahitur, Christi Domini corpus virile in Cælis est, servaturque illic sexuum varietas; cum nullam quoque masculi & femine distinctionem ponat Apostolus? *Non est, ait ille, Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est masculus neque femina*: ad Galatas Cap. 3. v. 28. Pudeat tam inepte ad eum sensum Apostoli oraculum trahere: qui de Ecclesia militanti disserit eo loci, in qua profecto & Gentiles sunt, & Judæi, præputiati nimirum & circumcisi, mares & femine, servi ac liberi; sed id sibi vult unum; in justificationis adipiscendæ negotio, nulla illic generis, conditionis, aut sexus

Serry Tom. III.

rationem haberi, sed gratiæ; nec Judæum ideo censeri meliorem, quod circumcisus sit; nec Gentilem deteriore, quod sit præputiatus; nec masculum esse femina digniorem aut liberum servo; sed omnes *unum esse in Christo*, solaque illius gratiæ largitate distingui.

VIII. Pergit majori quam cepit audacia tetricus Cenfor, notatque multo acrius, quod de præputio ibidem adieci: *ad corporis munditiam fuisse Judæis omnibus resecandam*: sicutque in me, ad hunc tonum tibias inflat: *Hoc est quod præfate nego: gravemque animo offensionem concipio, dum voces illas, ad corporis munditiam, a viro Theologo prolatas in audio*. Inde quippe consequens est, *Mosaicam Circumcisionem, ad Judæorum mundanda corpora, institutam esse; atque ita non ad animas emundandas. Quod certe erroneum constitutum est*.

Atqui ego vicissim offensionem concipio longe majorem, dum id a viro, qui Theologi nomen affectat, negari video, quod summo consensu Theologorum cœtus affirmat: ad corporis quoque munditiam, fuisse a Domino institutam Mosaicam Circumcisionem: uter nostrum meliori jure offendatur, judicent quorum interest. Certe Doctor Angelicus, (a quo unus, quod sciatu, desexit pro more suo Vasquesius) hanc ipsam influentem circumcisionis rationem, cæteris longe multis adnumerat, 3. parte quæst. 7. art. 3. ad 1. *Tertio Circumcisio ordinatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis riget, propter abundantiam delictationis veterorum*. Et 1. 2. quæst. 102. art. 5. ad 1. *Altera Circumcisionis ratio esse potuit, ad debilitationem concupiscentiæ in membro illo*. Adnumeraverat perinde dum olim Philo Judæus lib. de Circumcisione, eam quoque institutam inquit, *ut totum corpus esset purius*. Quin etiam hac ipsa de causa, corporeæ scilicet puritatis atque munditiæ, usurpatam ab Ægyptiis Circumcisionem nemo nescit, de quibus Herodotus scribit lib. 21. *Ægyptii virilia circumcidunt, munditiæ gratia; plures faciunt, secundum esse, quam de cæteris*. Quod illi dubio procul ab Hebræis accepterant. Neque vero consequens est, quod deblaterat Cavillator: ut qui præputium, ad corporis munditiam, Judæis resecandum obiter dixi, institutam idcirco negaverim circumcisionem ad animæ mundationem: Cum utrumque belle cohereret, alterumque fluat ex altero. Ea quippe carnis munditia, spiritualis animæ munditia significabatur: ut est apud D. Irenæum lib. 4. adversus Hæreses Cap. 30. & Origenem in Cap. 4. Epistolæ ad Romanos.

Addiderim ad uberiores impactæ mihi calumniam depulsionem, institutæ simpliciter Circumcisionis rationes a me nequaquam expendi loco illo, quem tetricus Cenfor arrodit; sed quæ partis hujus potius, quam alterius circumcidendæ ratio fuerit, obiter dicere, quantum meo congruit instituto. Hujus porro cæsuræ eo in membro factæ ratio non est spiritualis munditiæ animæ conferenda; cum & cujusvis alterius partis cæsiōne, præstari perinde potuisset: sed altera longe diversa. Uti plane si quis instituti simpliciter Baptistimatis rationes expendit, sanctificationis gratiam animæ conferendam, delendumque peccatum originale, primo quidem loco ponet: at si quis instituti in aqua potius, quam altero quocumque liquore, sacri Baptistimatis rationes quæserit; nihil tunc gratiæ animæ conferendæ ratio suffragabitur: sed alia dabitur longe diversa, ut scilicet apta fiat corporis lotio, quæ eo elemento, non alio liquore solet fieri. Ineptusque vitiligator habebitur, qui Theologo veram aquam, ad corporis lotionem, in Baptistimate adhibendam pronunciantem, negatam

P 2

ab

ab eo spiritualement animæ mundationem, effutiret.

IX. Cavillis atque cenforis insitit audacissimus Declamator. Utque petrum a nobis, ex Crucifixi cicatricibus momentum enervet: quo nempe palam evicimus, potuisse longe facilius, levissimam circumcisi pueri cicatricem, in redvivo demum corpore, salva illius integritate, perennare; si, ut factum habet Evangelium, majores crucifixionis cicatrices, absque integritatis injuria, ad reportati triumpho gloriam, remanserunt: Reponit ille perbelle, nihil eo momento probari, quod prober nimis. Nempe coronæ quoque spinæ, flagellorumque cicatrices, ad Christi perinde gloriam remansisse: quod ait nimium esse, atque falsissimum: imo remansuras pari jure in gloriosis Martyrum Corporibus, toleratorum suppliciorum cicatrices; quod absurdissimum ait esse. Sic enim, ut adjicit, *Et fratres Machabei manibus trunci, & Agatha mammis orbata, & Apollonia edentula, & Jacobus capite minutus, in Cælis essent, novaque montivorum Africa cum Christo regnaret.*

In quem nunc vertit iras Disputator imprudens? Quemve misera illa argutia oppugnandum aggreditur? Non me utique, sed sacrosanctum Evangelium. Quæ enim fingit absurda, putatque falsissima, (Christum scilicet flagellorum quoque cicatrices tenuisse, Martyresque toleratorum suppliciorum vestigia servaturos) ex facto ipso in Evangelio recitato sequi contendit, non ex ipsa, quam inde ad institutum intuli, consecutione legitima. Equis vero citra impietatis notam quæ absurda putat & falsa, ea ex Evangelio sequi, ostendere aggrediatur.

Sed nec quæ dicit sequi, re ipsa sequuntur. Potuit enim Christus, in signum reportati triumpho, majores crucifixionis cicatrices, Discipuli ostendendas retinere; nec tamen minores perinde servare: quod illis forte non esset opus, ad Resurrectionis veritatem Discipulis comprobendam. Ut etiam possent Christi Martyres, susceptorum vulnerum cicatrices in Cælis minime retinere: quod nulli forte usui, in æterna felicitate, futura essent.

Nec quæ duo fingit absurda vel falsa, hujusmodi sunt. Non utique primum: Cum Patres Ecclesiæ non desint, qui Christum Dominum resurgentem reliquas quoque cicatrices, aliorumque vulnerum notas tenuisse velint: in quibus est Divus Leo Magnus Sermonem 1. de Resurrectione: *Ideo vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia recentissime passionis signa monstrabat, ut agnosceretur in eo proprietates Divine humaneque nature individua permanere.* Non alterum: cum ea potius summorum Ecclesiæ Patrum, Doctorisque Angelici certa sententia sit, habituros quoque in æterna felicitate sanctos Martyres, susceptorum in passione vulnerum cicatrices; nec tamen idcirco trunca membrorum futura illorum corpora; ut ineptus disputator effutit. Ita quippe D. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei Cap. 20. *Nescio quo modo sic afficiuntur amore Martyrum beatorum, ut velimus in illo regno, in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine perulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; & quedam quantitas in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebunt. Non ideo tamen, si aliqua Martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum; quibus dictum est, capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo sæculo, ut indicia gloriosorum vulnerum, in illa immortalis carne cernantur, ubi membra ut præciderentur percussa vel secta sunt; ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non peribit, apparebunt. Ita*

D. Joannes Chryostomus Homilia de Nativitate septem fratrum Machabeorum: *Sicut corona regalis undique decorata fulgore variis emittit, ita sanctorum Martyrum corpora, sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni Regum diademate pretiosiora & spectabiliora redduntur. Ita D. Thomas in 3. Sentent. dist. 21. questione 2. art. 4. quaestiuicula 3. ad 1. Cicatrices vulnerum remanent in victoribus, & in Christo remanserunt, ad decorem, quasi insignia victorie sue. Non quod aliqua corruptio vel defectus ex illis cicatricibus in eis sit. Unde est aliquibus sanctis sunt amputata aliqua membra, non oportet quod sine illis resurgant, sed quod in loco incisionis aliquid vestigium ad decorem glorie remaneat. Et in 4. Sentent. dist. 44. quaest. 2. art. 1. quaestiuicula 1. ad 5. Cicatrices vulnerum non erunt in Sanctis, nec in Christo fuerunt, in quantum importent aliquem defectum; sed in quantum sunt signa constantissima virtutis, qua passi sunt pro justitia & fide; ut ex hoc & ipsis, & aliis gaudium crescat. Quibus paria habet Doctor Angelicus, 3. parte quaest. 54. art. 4. Quodlibeto 5. art. 5. & in Commentariis in Joannis Evangelium, ad Cap. 20. ut plane mirari mihi fubeat, ithæa a viro, qui D. Thomæ studium affectat, ignorari potuisse, ac etiam facietis ludi, & irrideri.*

X. Urget ille tamen: *Esto, inquit, circumcisi præputii cicatricem in suscitato Christi corpore reserendam fateremur; perperam inde colligat Theologus præputii pelliculam in terris a Christo esse relictam. Quandoquidem estis reseruas in suscitato Christi corpore crucifixionis vulnus cicatricis fide credamus, nemo tamen invenit est unus, qui discissis hujusmodi vulneribus carnes aut pelles terris relictas affirmaverit.*

Belle ille quidem: at quis quæso Theologus ille est, qui relictam terris Christi præputium inde colligat, quod exsecti præputii cicatrix in redvivo corpore perennarit? Nemo puto ita cucurbita fuit, ut eam consecutionem ex eo antecedenti deduxerit: sed reliquum terris præputium, ex Historicorum bene plurium narrationibus probant universi: qua licet de servati sacri pignoris loco dissentiant, terris tamen relictum alicubi, constanter affirmant. Quas omnes narrationes, ut falsas rejicere Christiana modestia non sinit; nec miracula omnia ad cultum fidelium animis inferendum patrata repudiare permittit. Si quid vero de relicta in Christi corpore circumcissionis cicatrice statuunt Theologi, & cum relicta crucifixionis cicatricibus conferunt; id ea tantum mente atque consilio faciunt, ut patenti illo exemplo evincant, nihil Domini Corporis integritati repugnare, si relicto terris præputio, ea levi cicatrice inausum surrexit, atque in Cælum ascendit: quod ex sacro Evangelio liquet, majoribus crucifixionis cicatricibus inausum, absque integritatis suæ jactura, surrexisse & ascendisse. Minime tamen id faciunt, ut relictum terris præputium ideo probent, quod abscissi præputii cicatricem etiam resurgendo servavit. Cum nec illud ignorent Theologi; tam potuisse Christum, si vellet, assumpto etiam præputio, factæ olim caesura vestigium aliquid retinere; quam, assumptis carnium pelliumque frustulis, quæ in ipsa crucifixione dissecta fuerant, eorumdem scissionis vestigia resurgendo retinuit.

XI. Age modo, & qui nostra tam argute ingenioseque cavillatus est, sua quam erudite doctaque, defendat, videamus: numve sua forte fallacius adificet, quam destruat aliena. Tritum in primis recitat axioma, ex D. Damasceno petitum, *Quod semel assumptum nunquam dimisit, ut semel assumptum a Christo præputium, nunquam ab illo dimissum ostendat; atque ita nusquam in terris*

ad

ad publicam venerationem, asservatum evincat. Ac si quis vulgari huic argutiae forte reponat, quod Theologi de more respondent, de partibus integris, seu ad humanæ naturæ integritatem ac perfectionem pertinentibus, Damasceni dictum intelligi; non de minutulis particulis, nihil ad integritatem corporis attinentibus; qualis profecto est minutula pellicula in Circumcisione præcindi solita: inani garullitate argumentum instaurat; furci sacrilegi genus esse iniqui, Christum vel minima corporis sui particula defraudare. Nec satis advertit imprudens, eodem formate peti Theologos universos, ac veluti fœdes atque sacrilegos fugillari, qui nonnullas naturalis etiam sanguinis guttulas, a Christo in Cruce patiente dimissas, terrisque servatas docent; ipsumque etiam præcindi Romano Pontificem Pium secundum, peculiari Diplomate, ad Abbatem S. Mariæ Diocæsis Xantonensis, Tybure dato affirmantem, *Veritati fidei non repugnare, asserere Redemptorem nostrum, de sanguine in Cruce effuso, ob ipsius passionis memoriam, partem aliquam in terris reliquisse.* Par enim sanguinis hujus, & præputii ratio est: nec magis ad humani corporis integritatem pertinere censenda est particula solida, quam fluida. Imo longe minus ad integritatem Domini corporis, præputialis pellicula pertinet, quàm ea sanguinis guttula, quas Theologorum catus relictas terris exilimant: cum præter exiguitatem tenuitatemque suam, adhuc in Hebræo homine, qualis est Christus, superflua & excrementitia judicetur, quæ ex Mosaicæ legis præscripto resecaenda est.

XII. Eadem oberrat chorda quod in dicti sui confirmationem subjicit argumentum: *Cum eo resurgere debet homo, quod ad integritatem illius pertinet, ut est homo, est ad ejus integritatem alio titulo minime pertinet. Quia sine ratione Alanus, cum omnibus ad ejus integritatem, ut homo privatus est, attentibus aliquando resurget, est absque ea costa sit resurrexerit, ex qua formata est Eva, quæque ad ejus integritatem, ut erat humani generis caput, aliquomodo pertinebat; ex D. Thoma 1. par. quaest. 92. art. 3. ad 2. Atqui præputium ad integritatem Christi pertinet, ut est homo, est ad ejus integritatem, ut Judæus est, non pertinet: cum eo ergo resurgere Christus debuit; non illum terris colendum relinquere. Eadem, inquam, oberrat chorda, idque pro certo ponit, quod probavimus esse falsissimum: præputium scilicet ad Christi, ut homo est, integritatem proprie pertinere. Quamquam ergo aliqua sui parte valeat comparatio, quam dedimus ipsi, costam nimirum Adami, cum Christi præputio; ut ostenderemus potuisse etiam Christi præputium novo veluti titulo eidem esse superfluum, ut nimirum Judæus erat; sicuti superflua costa sui Adami, ut singularis erat homo: non stat tamen in aliis comparatio. Quia uno duntaxat titulo costa superflua fuit Adami, ex peculiari scilicet hominis conditione: præputium vero duplici titulo Christo superfluum fuit; tum ut Judæus erat, cui ex legis præscripto reseca debuerat; tum etiam ut erat homo; qui minutulas carnis pellive particulas, ad sui integritatem corporis omnino non postulat: possuntque illæ, ut notat Doctor Angelicus, si Deus ita voluerit, compensari; ut sine his Corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. 3. parte quaest. 54. art. 4. ad 3.*

XIII. Sed quo demum rixandi libido refractariolum hominem abripit? Audi, si tamen pie aures ferre possunt. *Incredibile est, inquit, Christum ad publicam fidelium venerationem, eam corporis sui particulam terris reliquisse, quæ satis modestè casteque non potest fidelium oculis exhiberi; quæque minus honestam contuentibus speciem ingerit; ob eam*

scilicet, quam cum illa corporis parte habet, unde excisa est, relationem. Vah obscenam impuramque linguam! Non erit ergo, si sic est, Dominicæ Circumcisionis Mysterium, fidelium mentibus oculisque obijciendum: eadem enim meditantibus & contuentibus speciem ingerit. Peccavitque, si penes Aristarchum nostrum est fides, Romana olim Ecclesia, contra honestatis ac modestiæ leges; peccaruntque aliæ tam multæ, quæ sacrum præputium se tenere cum crederent, hoc idem ad publicam fidelium venerationem exposuerunt olim, aut exponunt etiam hodie. Sed pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis Psal. 140., ne tam religioso modestiæ cenfosi similibus fiam.

XIV. Curioso quæsto postremum Controversiæ colophonem apponit. *Si extat, inquit, etiamnum in terris Christi præputium, quod de illo tandem futurum in extremo mundi fine? aut enim generali deflagratione peribit, non sine magna Christi Salvatoris injuria: aut redvivum Christi corpori adjungetur; atque ita geminatum erit in Christo Resurrectionis miraculum.*

Papæ quam argute! At quid ni idem ab universis Theologis quaeritur, qui aliquas naturalis etiam Christi sanguinis guttulas terris relictas existimant, probantque admodum bene? Quid de illis in extremo mundi futurum? Num generali conflagratione sint peritura? num Christi corpori adjungendæ? Quidquid illi quæsto reponant, reponam & ego: Una enim eademque utrobique est difficultas: quin idcirco a suscepta probatæ sententia resilire, necesse mihi sit. A qua, quod magis miror, sponte me tandem aliquando recessisse, ac palinodiam decantasse, debilater cavillator; ob illa paucula verba, quæ septimum præsentis Exercitationis paragrahum claudunt: *Nihil itaque certi ea de re statui potest. Quæ tamen a me, de præsentis controversiæ, dicta non sunt, sed de alia longe diversa: quo videlicet loco servetur ad præsentis Christi præputium. Quæ de re, ob pugnantem invicem narrationes, nihil certi statui posse, merito dixi; est & relictum a Christo præputium, & servatum alicubi, constantissime dixerim.*

EXERCITATIO XXXIV.

De Magis Christi nascentis adoratoribus.

I. **N**Ecdum a Christi nascentis cunis avellimus, ad quas iterato nos ducunt Magi adoratores, ex Oriente cum numeribus advocati, ad clientelam novo Regi profertendum; ejusdemque gloriam in patriam reduces profertendam. Horum adventum his verbis describit Matthæus Cap. 2. Evangelii: *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerusalem dicentes, ubi est, qui natus est, Rex Judæorum? Vidimus enim Stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Quocirca quatuor maxime vocantur in controversiam. Cujus conditionis, & fortis homines fuerint Magi illi? Quoto numero, quove nomine? Cujates essent, quave speciatim e regione Orientis venerint? Quandonam Bethleemum adventarint? Quæ omnia haud levibus difficultatibus implicantur, quæ nostram indultriam desiderant, ac laborem.

II. Ut ergo de Magorum conditione dicamus primum; illud ante omnia citra dubium habeto: Magorum nomine viros magicis artibus addictos, sortilegos, necromanticos nequaquam intelligi; sed Sapientes, Philosophos, & fæderalis scientiæ peritos designari; qui eo specialiter nomine ab Orientem

rientalibus nuncupantur. In id quippe consentiunt universi, nec ipse repugno. Verum Reges illos fuisse, quod plerique putant, perfrade nego; multisque evinco. Si enim Regia dignitate aucti fuissent, Matthæus illos nobis a nobiliori titulo designasset, nec simpliciter Magos dixisset, seu Philosophos, & syderalis scientie peritos: sic enim, & Christi nascentis gloriam, & delati palam honoris famam, ac celebritatem auxisset. Regium quoque apparatus, & comitatum, aut descriptisset Matthæus, aut innuisset, quo illustrior in Judæorum oculis fieret salutatio, gloriosior adoratio. Certe ubi Christus filium Reguli sanitati restituit, hanc parentis dignitatem silentio mittendam non censuit Sacer Scriptor, ne patrati miraculi celebritatem imminueret: & Regiam in Christi adoratoribus dignitatem silentio missam effutiemus, unde tanta delato honori celebritas accessisset, ac fama? Abiit.

Quid, quod Herodes Magos illos alloquitur tamquam inferioris conditionis homines, ac etiam pro imperio cum illis agit? *Mittens eos in Bethleem dixit: ite, & interrogate de puero, & cum invenieritis, renunciate mihi.* Itane, quæso, Orientis Reges misisset Herodes, iussis etiam suis, ac præceptis oneratos?

Ad hæc, incredibile est, Reges externos in alienam ditionem ingressuros fuisse, nullis præmissis Nunciis, ac Legatis ad Herodem. Nec Herodes illorum ingressum de facili permisisset. Quique turbatus dicitur, audito pueri Regis ortu, multo Magis de Regum exterorum in Judæam inopinato ingressu commotus fuisset, statim atque illos novisset ingressos. Incredibilis est longe multo, Reges, quorum pro dignitate tantillus fuisset comitatus, Bethleemo clameculum discedere potuisse, quin statim internovisset Herodes, sexto dumtaxat milliario degens: tantumdem enim Bethleemo distat Jerosolyma. Nec iusta temporis mora expectanda fuisset Herodi, ut intelligeret, se a Regibus in patriam per aliam viam reversis fuisse illum.

Confirmat idem vel maxime, quod nullus veterum Patrum Regiam Magis illis dignitatem attribuerit; nullus illos a Regia dignitate commendavit, sed a sapientia, syderumque cognitione. Primus omnium Theophylactus hanc illis dignitatem attribuit: qui certe, nec probata auctoritatis, nec venerandæ antiquitatis Scriptor est, qui fidem in hujusmodi questionibus integram faciat: quippe qui sæculo dumtaxat undecimo floruit. Cætera quæ jactantur Patrum Opuscula, quibus Regia Magorum dignitas commendatur, spuria plane sunt & apocrypha: ut liber 3. de *Mirabilibus Scripturæ locis*, & sermo 43. ad fratres in *eremo*, Augustino ignoranter assignati: liber de *passione Domini*, Isidoro Hispanensi falso suppositus: *Epigrammata* Claudiano Mamerto tributa: e quibus nihil boni succi elicias. Tertullianus *Orientalium Magos Reges se habuisse* alicubi scribens, nihil quod incommodet attestatur. Aliud quippe est, Orientis Reges, Magos quoque fuisse, hoc est, Sapientes & syderalis scientie peritos; quod frequenter accidisse non dubito: aliud, quocumque Magos peritosque, Reges perinde fuisse; atque illos maxime, qui Christum adoratum venerunt; quod inficior. Maximus autem Taurinensis Homilia 3. in Natali Domini, *Christum sordentibus pannis circumdatum, Regis per Chaldaeos muneribus honoratum* scribens, Regiam adorantium dignitatem nequaquam agnoscit; sed oblata ab iis munera *regia* vocat; tum quod pretiosa fuerint, tum quod si Christum Dominum eorum oblatione Regem agnovissent. Alias enim reverentes illos Christi nascentis adoratores, *Magos* in Homiliis millies

vocat eloquentissimus Pater, Reges numquam; etiam ubi maxime vocaturus erat, si tales illos habuisset.

III. Neque vero huic nostræ sententiæ repugnare putanda est prophetia Psalmi 71. *Reges Tharsis, & Insule munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Aut prophetia Isaie 60. *Annubuntur gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Hæc enim peculiariter dicta non sunt, de Magis Christi nascentis adoratoribus, sed generatim, & universè de Regibus gentium, nationumque barbararum, ad Christi cultum quomodolibet advocandis. Quod autem Ecclesia ea Prophetarum oracula usurpet, & accomodet celebrationi Divinorum Officiorum, in Sacris Epiphaniæ solemnibus, idcirco fit, quia Magorum istorum adorationem celebrando, generalem Gentilium vocationem ad fidem perinde celebrat; cujus quidem vocationis inchoatio fuit vocationis Magorum, ad cunas Christi nascentis. Ita S. Leo Serm. 2. de Epiphania: *Agnoscamus, dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ, fideique primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus.* Et S. Augustinus Serm. 2. de Epiphania, qui est 30. de tempore: *Magis dies iste primus illuxit, anniversaria nobis festivitate rediit. Illi erant primitia gentium, nos populi gentium.* Hieronymus quoque in Commentariolo in Psalmum 71. *In Magorum muneribus inchoatum esse notat, quod ibi fuerat a Prophetâ predictum.*

Certe quicumque pertinaciter voluerit, laudatum oraculum Psalmi 71. peculiariter, ac singulariter de Magis Christi nascentis adoratoribus fuisse pronunciatum, ut hinc Reges illos fuisse colligat; concedat quoque necesse est, fuisse illos Reges, non qualescumque, sed Reges Tharsenses, Insulanos, Arabes, Sabæos, ac etiam Æthiopes. Quid plura? Concedat necesse est, omnes Reges terræ ad Christi nascentis præsepe convolasse; sic enim habet integer Psalmista locus: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent: Reges Tharsis, & Insule munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Quod idem de altero Isaie oraculo dici potest. Quis ergo non videat, dictum id esse generatim, & universè de vocatione gentium ad fidem, quæ prædicationis Evangelicæ fructus futurus erat: ab Ecclesia autem in Epiphaniæ solemnitate idcirco recitari, quod in Magis Christi nascentis adoratoribus, primitiæ vocationis gentium celebrentur; ut ex Patrum Sermonibus ea die habitis perspicuum est.

Erit forte, qui illos Reges fuisse probet, propterea quod thesauros suos aperuisse dicantur, ad suorum oblationem donorum: *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.* At si quis est, qui tam labili fundamento nitatur, is profecto ancipiti vocabulo ludit, luditurque. Thesaurus enim arca quæcumque dicitur, quæ pretiosa res continentur, sive privati sit, sive principis. Hinc illud Lucae 12. *Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Quod omnibus a Christo Domino dictum est.

IV. Alterum controversiæ caput: quo scilicet numero Magi fuerint, haud ita facile definierim. Tres vulgo fuisse creduntur, levi profecto fundamento. Ex antiquis enim Ecclesiæ Patribus unus Leo Magnus nobis numerum hunc definiuit, passim in Sermonibus de Epiphania, ac longo post illum intervallo ignotus Auctor Sermone Eusebio Emiseno perperam adscriptorum: silent cæteri Patres. Quin etiam Auctor Operis imperfecti in Matthæum apud S. Joannem Chry-

stomum Homil. 2. Magos Christi adoratores duodecim fuisse docet, quos *Perfarum sapientiores, & Mysteriorum Divinorum amatores* appellat. Duodecim perinde numerat Petrus Abaelardus Serm. 4. de Epiphania. Idcirco porro tres tantum fuisse vulgo creduntur, quia tria oblata munera memorat Evangelium, *aurum, thus, & myrrham*: quæ si perinde obtulerint singuli. Quis id porro certo sciat? Imo omnia singulos obtulisse, probabilius est: tum quod ita plerique Patrum existimant, maxime vero S. Ambrosius lib. 2. in Lucam, & S. Gregorius Magnus Homil. 10. in Evangelia: tum quod ita ratio suadeat videatur. Cum enim ea ab ipsis oblata sint munera tamquam symbola fidei suæ, quæ Christum, & Regem, & Deum, & mortalem hominem agnoscebant; omnia singulos obtulisse necesse est, cum titulos illos omnes in Christo agnoscerent singuli. Hinc Glossa pervetusta, quam ordinariam de more nuncupant, in hunc ipsum, quem expendimus Matthæi locum: *Magi tria munera obtulisse dicuntur: non ideo tamen non plures quam tres fuisse probantur: sed ut per eos, gentes quæ ex tribus filiis Noe nate sunt, venire ad fidem præfigurentur.* Quocirca notari obiter velim, Sermonem 1. de Epiphania, qui inter Augustinianos de Tempore numeratur, incipitque, *Proxime fratres Charissimi, apocryphum esse ac spurium.* De quo lege Natalem Alexandrum in Synopsi Sæculi quinti Cap. 4. §. 9. Ne te forte ludat quod ibi legis: *In eo quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur: in eo vero quod tres sunt, & singuli singula offerunt, in Trinitate unitas declaratur.* Nihil profecto hujusmodi versus Augustinus, imo nemo veterum Patrum; uno ut dixi excepto Leone magno, qui hunc nobis Magorum numerum definiuit.

V. Incertiora sunt longe multo, quæ Magis assignata sunt nomina, de quibus nihil auditum ante finem duodecimi sæculi. Quis autem tunc temporis ea certo reterege potuit, nullo præeunte totius retro antiquitatis lumine? Idcirco tam horrende variatum hæc in parte. Ad alios quippe *Galpar, Melchior, Balthasar* nuncupantur: ab aliis, *Appellius, Ametus, Damascus*: ab aliis *Galgalad, Magalad, Serachim*: ab aliis, *Azor, Sator, Parator*. Quodque dolendum magis, ad pravæ, & magicæ artes exercendas excogitata sunt nomina, si credimus Casaubono, Exercitatione 2. contra Baronium §. 10. Unde & nata superstitionis est, potissimum apud Græcos recentiores: si quis in die Epiphaniæ tria Magorum nomina capitula novæ inscripserit, hunc plenam a cujuscumque venenati serpentis morfu liberationem consecuturum. Credit Judæus apella, non ego.

Sed quod demum fingendi, fabulandique cacæthes homines abripit? Inventus est non ita pridem, anno scilicet 1636., qui integrum volumen in Gallia vulgarit, ut ascenderet, Magos a Matthæo memoratos Christi nascentis adoratores, haud alios fuisse, quam Henochum, Eliam, & Melchisedechum, quos e Paradiso terrestri, ubi vitam ducerent, ad Christi præsepe stella deduxerit. Tam inauditi paradoxo probationes si quæratis, toto volumine nullam invenietis; nisi quod Magi a Matthæo memorati ex Oriente venerint, ad quam terræ partem situm olim Paradisum terrestrem scripsit Moyses Genesis 2. tum etiam quod Christo gloriosior, & honorificentior videatur exhibita a viris illis sanctissimis adoratio, quam quæ a Magis, communis conditionis hominibus, esset exhibita. Hinc verum perinde colligas, totum veterum Patriarcharum, & Prophetarum Ordinem ad Christi cunas adoratum venisse. Tædet, pigetque, in tam stolido commento resellendo operam

ludere. Dicam tamen, rure ab imis fundamentis. 1. Enim Melchisedech in Paradiso terrestri superstes non est; quidquid alicui de Enocho, & Elia opinati sint 2. Magi adoratores primitiæ gentium ad Christi fidem vocatarum dicuntur a Patribus: Elias autem Judæus erat; Enoch vero prima Mundi ætate vixit, quæ nulla adhuc erat Gentilium, Judæorumque distinctio: Melchisedech tandem Dei Summi Sacerdos; omnes homines sancti, nulla unquam gentilitatis labe polluti. 3. In Eliam, & Enoch non cadit ultra somnus, ut docent qui de illorum statu differunt: Magos vero dormisse Bethleemi notat Matthæus, dum illos Angelicum responsum *ne redirent ad Herodem* in somnis accepisse dicit. 4. Cur non illos propriis nominibus designasset Evangelista, ad Christi nascentis gloriam amplificandam; quemadmodum distincte norantur Moyses, & Elias Christi transfigurati testes, ac focii?

VI. Sed relicta infulti figmenti confutatione, ne, si prolixius confutetur, a nobis honorari videatur, sermonem ad alia convertamus, quæ majori otio, atque criterio discutienda sunt. Cujates nimirum fuerint, ac unde venerint Magi adoratores, qui a Matthæo simpliciter *ex Oriente* venisse dicuntur, nulla peculiari regione, ac natione adnotata?

Quadruplex ea de re circumfertur opinio. Prima Chaldaeos illos fuisse, & ex Chaldaæ respicente Judææ Aquilonaris sit, non Orientalis; unde toties Prophetæ malum a Chaldaïs inferendum Judæis, ab Aquilone iriturum dicunt: tum etiam quod Chaldaæ Judæis vicina, atque notissima obscuro illo, ac generali nomine *Orientalis* ab Evangelista designata non esset: *Eccc Magi ab Oriente venerunt.*

Altera Magos ex Mesopotamia venisse opinio ponit, illosque ex posteris Balaami fuisse, qui Christum sub Stelle symbolo oriturum prænunciaverat, Num. 24. Ita Origenes, & Basilus Magnus, ea ratione nixi, quod Balaami vaticinium, de stella aliquando ex Jacob oritura, in ejus posterorum memoria vigerit, & Magos ad novi syderis expectationem erectos, ad novum Regem quærendum, statim atque stella illis affulxit, excitavit. At id perperam, & in casum. Quamquam enim Balaam Mesopotamum fuerit, non tamen in Mesopotamia, sed in Moab, quo fuerat advocatus, vaticinium fudit: nec ad suos reverfus vaticinium inter suos commendavit: sed contra potius, ad finem usque vitæ nefariis studiis vacavit, ac male periit. Insuper Mesopotamos Astrologiæ studiis vacasse, non legimus. Nec admodum a Judæa distat Mesopotamia, qualem Magorum patriam designat Evangelista.

Tertia Magos Arabes ex Arabia accersit opinio, non deserta illa quidem, & petraea, sed ex felice, quæ Judææ comparatione Orientalis est. Sic sane Justinus Martyr, Tertullianus, Hilarius, Epiphanius; qui tamen ea in parte Patres alios majori numero repugnantes habent. Nec immerito. 1. Quod Arabia non ita distet a Judæa, nempe solo itinere ostendit. 2. Quod Magorum nomen sit apud Arabes inauditum. 3. Quod in aliis novi Testamenti locis, ubi de Arabia fit sermo, proprio nomine nuncupetur, ut ad Galatas Cap. 1. & 4. Ultimo, quod momenta, quibus ea opinio maxime nititur, facile exsufflentur. Nititur enim oraculo Davidis Psalmi 71. *Reges Arabum, & Saba dona adducent*; quod tamen speciatim de Magis adoratoribus dictum non esse, demonstravimus: alias Reges, non modo Arabes, sed & Sabæi, Tharsenses, & Insulani perinde dicendi essent, ob ea videlicet, quæ præ-